



1472

DE

SUSPICIONE,

316

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDEN-
BURGICO, DUCATUS MAGDEBURGICI VICARIO,
RELIQUA,

in

ALMA FRIDERICIANA,

consentiente

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE,
PRO LOCO,

in eodem, consueto more, consequendo,

ANNO M. DCC X. die Maii,

PLACIDO PHILOSOPHANTIIUM EXAMINI
submittit

PRAESES

M. CASPAR GOTTSCHLING, SILES.
LYCEI NEO-BRANDENBURG. IN MESO-MARCH.
VOCATUS RECTOR,

RESPONDENTE

IO. ANDR. HAGEN, LL. St.

Magdeburg.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, TYPIS IO. MONTAGII, ACAD. TYP.

31

DE

SUSPICIONE

Quam

RECTOR MAGISTRI

SERENISSIMO PRINCEPS

DN. PHILIPPO WILHELMO

PRINCEPS FORSTEN

DUCATUS MAGNIFICI

RECTOR

In

ANNA FRIDERICINA

Comitatus

AMPLISSIMO PHIDOPHORUM ORDINE

PROFECO

In

PLACIDO PHIDOPHORUM EXAMIN

In

PRABES

IN CASPAR GOTTFRIED

PHICE REO-BANDEN

PHICE REO-BANDEN

4.

IO. ANNA

HALL



31
18

VIRIS
PRAENOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
ET CONSULTISSIMIS DOMINIS,
DOMINIS
CONSULIBUS,
SYNDICO,
CAMERARIIS,
PRAETORI,
VNIUERSOQUE ORDINI SENATORIO
INCLVTAE REIPUBLICAE NEO-BRANDEN-
BURGICAE,

Dominis, Patronis ac Promotoribus meis,

Summa, qua par est, obseruantia

Colendis.



VIRI

PRAENOBILISSIMI, AMPLISSIMI ET
CONSULTISSIMI,
DOMINI, PATRONI ET PROMOTORES

Summa, qua par est, obseruantia
Colendi,



Um hanc de Suspensione materiam
explanandam mihi sumo, am-
plissimo Philosophorum ordini
in hac Fridericiana gratias actur-
us : praeter omnem spem & o-
pionem euenit, vt literis ad me datis beneuolen-
tiam & amorem in me vestrum mihi cognoscen-
dum abunde praeberetis. Miratus sum omnino
nouum Prouidentiae diuinae argumentum: Quod
tamen consilium mihi esset capiendum, anceps
& dubius initio haerebam. Elegeram enim ab eo
tempore, quo duobus ab hinc annis Brandenbur-
go discedendum mihi erat, Academiam Frideri-
cianam,

31
cianam, omnium sine dubio totius Europae & fama & eruditorum celebritate maxime conspicuam, quae etiam, quemadmodum iam ante decem annos suo me fauore dignabatur, sic tanto iterum me excepit amore, ut quamuis iterum absens sim futurus, illius tamen nunquam mentem meam captura sit obliuio. In hac ergo omnem vitam agere, hic inter eruditos versari, ab illis discere & ab eorum doctrinis pendere firmiter animo meo erat constitutum. Sed, cum summi Numinis voluntas Vestra, *viri amplissimi & Patroni optimi*, benignitate denuo Musis Brandenburgensibus me praeesse velit; & plane mihi persuadeam, me campum ingressurum esse, in quo libere, nullis impedimentis iniectis, verae pietatis morumque probitati in usum studiosae Iuuentutis licebit operari: Etiam obsequendum esse arbitror diuino Numini, quod, uti me quondam Vobis probatum & carum reddidit, ita quoque in posterum efficiet, ut, dum Salute publica mihi nihil erit antiquius & prius, constanti fauore, Consilio & Protectione omnium semper sim vsurus. Quamobrem de munere humeris meis a Vobis imposito maxime mihi gratulor, illudque eo libentius in me nunc suscipio, quo maior vestor est erga me amor & quo vehementior animo meo nascitur cupiditas spartam, quam nactus sum, diuinis

uinis auxiliis augendi atque mascule exornandi. Ut igitur, pro hoc, quo me adficitis honore, aliquod grati animi monumentum publice extet, cum aliud, idque melius nondum sit ad manus; patiamini quaeso, *Viri amplissimi & consultissimi*, vt leuam hanc, quam de *Suspicionem* conscripsi, Dissertationem, vestris Nominibus sacram & dedicatam esse cupiam. Largiatur modo summum numen, vt omnia, quae a me fient & peragentur, ita fiant & peragentur, quo vestrae voluntatis & amoris scopus rite obtineatur! Sane quantum in me est, dies noctesque sedulus & indefessus summa operantur, vt in studiosae iuuentutis commodum & utilitatem, ad augendam diuinae Maiestatis gloriam, omnem laborem omnemque operam strenue conferam, omni vero tempore declarem, quod sim

Vestrorum praenobiliss.

Amplissim. & Consultiss.

Nominum

Observantissimus

M. CASPAR Gottschling/

Lobendauia Silesius.



Q. D. B. U.

SUMMA EORUM, QUAE HAC DISSERTATIONE CONTINENTUR.

§. I. Artis recte & bene cum aliis viuendi necessitas probatur. §. II. Fuit olim maxime neglecta. §. III. Exempla quaedam Eruditorum sine moribus producantur. §. IV. Virtutum homileticarum praecipuae nominantur. §. V. Auctores nonnulli huc pertinentes. §. VI. Non ad aulicos tantum pertinet. §. VII. Regulis etiam & praeceptis aliquo modo discitur. §. VIII. Praeceptorum monita in Scholis saepe paruam habent vim. §. IX. Vitia quaedam nominantur. §. X. Causa Dissertationis. §. XI. Varia Suspicionis significatio explicatur & Quanam hoc loco intelligatur, docemus & definimus. §. XII. Differt a Circumspectione, de la Jalouse & dissidentia. §. XIII. Causae Suspicionis in ipso homine latent. Vnde Voluptuosos, ambitiosos & auaros huc referimus. §. XIV. Differt etiam promixtura harum propensiorum suspicio. §. XV. Excitat illam naturalis quaedam inter homines Antipathia. §. XVI. Inde fluens Ingeniorum, opinionum & morum diuersitas. XVII. Timor & metus duplex, voluptuoso & auaro connatus, & §. XIX. Timor de alterius praestantia & virtute. §. XIX. Credulitas etiam Suspicionem producit, quemadmodum & incredulitas. §. XX. cui iungendum est odium in alios malitiosum & proaereticum. §. XXI. Et tandem malarum rerum Conscientia. §. XXII. Extra hominem vitium hoc procreatur a vita alterius vel bona vel mala. §. XXIII. Ab adulatoribus & Calumniatoribus. §. XXIV. A Sociis, quibus cum viuimus. §. XXV. A Vexatione. §. XXVI. Damna quaedam in suspiciosum redundantia paucis attinguntur & Effectus alii ex hoc vitio prodeuntes. §. XXVII. Remedia huic morbo afferenda exponuntur. §. XXVIII. Sapientis cum eiusmodi Homine viuentis officium.

A 2

DIS-

Q. D. B. V.
DISSERTATIO DE SUSPICIONE.

S. I.

Artis Homi-
leticae ne-
cessitas.



Ominem non sibi soli, sed vitae, com-
munique Societati studiis immorari de-
bere, jamdudum euerunt omnes, qui
vitae humanae felicitatem in tranquilla
cum aliis bene viuendi ratione posuerunt.
Dantur quidem multi, qui sibi & non aliis,
varios sapientiae thesauros conquirunt; vt e-
nim gloriolam quandam caperet vanus homo, intellexit que volupta-
ti liter; quid non exoptat? quid non molitur? Verum enim vero,
qui verae Sapientiae finem obtinere cupit, id agat, necesse est, vt o-
mnia, quae discit & in quae inquirat, ad Societatis humanae conferat
utilitatem. Si hoc fieri debet; in obscuro ipsi non est delitescendum,
sed ope summa allaborandum, vt locum eligat & viuendi genus cum
hominibus, quibus cum sincere, amice & constanter queat degere.
Culibet autem inest suus genius sui que mores, quos in quolibet spe-
ciatim reprehendere nefas foret & impium; Summi quippe & sapien-
tissimi Creatoris opera in dubium vocaremus: quamobrem cum aliis
feliciter victuri munus est omnino, vt, aliorum moribus recte inspectis,
infectere discat animos, & sui ipsius animum amicorum bonis propen-
sionibus licitisque desideriis accommodare. Sunt homines arborum
instar, quarum magna multitudo & specierum diuersitas vno in horto
vnoque campo reperitur. Quae si suos fructus ferunt, omnes bonae
sunt: quamuis pro naturarum diuersitate varios etiam & diuersos
ferant. Qua de causa iniuste mihi videntur facere, qui suis rebus de-
lectati, & vano *Philosophiae* oestro perciti, quae in aliis admirari deceret, ne-
farie solent contemnere. Haec mala vero & multa, quae inde fluunt,
alia, si verae Sapientiae studiosus velit euitare: omnem in eo ponat
operam, vt aliorum quoque consilii vratur, eorum, quae recte faciunt,
multa imitetur, nonnullos sibi conciliet, nonnullorum odia euitet, &
vt paucis omnia complectar, cum aliis & inter alios *recte viuere* di-
fcat.

Olim negle-
ta.

S. II. Quam negligens consilii huius quondam fuerit obseruatio,
communis ferme testatur experientia. Meum quidem hoc loco non
est,

est, viros in magna olim auctoritate & fama constitutos ineptitudinis alicuius arguere; religioni enim mihi duco illis obgannire, quos tanquam Superiores & maiores decet reuereri; Sed, cum aliorum recte & minus bene facta recensere, illa ad imitandum, haec ad euitandum proponere, non idem sit, quod taxare & culpae; Me reprehensionis crimen non incursum facile confido, si audentius ausim affirmare, quod Superioribus temporibus de hac re non ita senserint Eruditi. Literis enim solum delectati, mores vt vocant, externos & decori cultum parui aestimauere. Imo multis bene erat; si modo ab hominum consortio penitus remotis vitam in otio seorsim transigere daretur. Vnde cum in publico comparandum ipsis esset; aut ineptis, aut nullis moribus instructi incessisse saepius feruntur.

S. III. Ne in longum excrescat de hac re Oratio, pauca tantum eaque externa placet in medium asferre litteratorum sine moribus exempla. Testis in hac causa locuples erit *Eritraeus*, (a) e cuius penu varia nuncliceat depromere. Hic acutissimus Ingeniorum iudex modo *Balduccium*, Panormitanum, (b) morositatis odiosae vanaeque iactantiae accusat; modo *Belurgerium*, Gallum, graecis literis apprime instructum (c) moribus fuisse subagrestibus & rudibus testatur, neque in victu, vestitu, sermone quidquam habuisse elegans, concinnum aut compositum, sed aequae omnibus in rebus incultum atque dissipatum apparuisse; modo *Belmontis Cagnoli* (d) fastum, cum asperitate coniunctum risui exponit; modo *Bartoli* (e) in vestitu sorditiam; modo *Angeli Angelotti* (f) ineptam loquacitatem reprehendit. Quibus haud immerito addendus *Hieronymus Cardanus* (g) quem de suis moribus ita iudicasse legimus: Non aliter ait, (h) *de me ego sentio, quam Horatius de suo Tigellio. Quin imo Horatium dixirim tum de me sub illius persona locutum.* Ita autem Horatius: (i)

*Nil aequale homini fuit illi. Saepe velut, qui
Currebat fugiens Hostem. Persaepe velut, qui
Iunonis sacra ferret. Habebat saepe ducentos,
Saepe decem seruos, modo Reges atque Tetrarchas,
Omnia magna loquens: Modo sit mihi Mensa tripes &
Concha Salis puri & toga, quae defendere frigus,
Quamuis crassa, queat. Decies centena dedisses
Huic parco paucis contento: Quinque diebus
Nil erat in oculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum sternebat. Nil fuit unquam
Sic impar sibi.*

Nec obliuiscendus *Iac. Coſterius*, Ludov. XI. Regis Galliarum Archiater, quem *Cominaeus* (k) refert ex impetu moroſo Domino ſuo inepte aliquid dixiſſe; *quaere Tibi alium Medicum. Ceterum certo ſcito, me dimiſſo, Te ne per occiduum quidem ſuperuicturum.* Horum agmen claudat *Franciſc. Petrarca*, de quo praeter *Mabillonium* (l) ita memorat *Wagenſeilius*: (m) *Petrarcha* War mit einem Belze bekleidet, und wenn er an den einfamen Orten Valcluſa und Arqua, wo er ſich meiſtens aufhielt, ſpatzieren gieng und ihm gute Gedancken einfielen, ſchrieb er ſolche auf ſeinen Beltz, welcher auf ſolche weiſe gantz ueberſchrieben worden, den man hernach faſt wie ein Heiligthum bewahret, bis man vor geraumer Zeit aus Sorge, er moechte irgent von der graſſirenden Peſt angeſtecket worden ſein, ihn verbrennen muesse.

Alios lubentes praetermittimus, quos facili negotio hic locum inuenire poſſe non ignoramus. Ex adductis tamen abunde patet, quanam olim multorum de decori artiſque, quam vocant, homileticae uſu fuerit ſententia.

(a) Vid. ipſius Pinacotheca Imaginum illuſtrium. Edit. Colon. ao. 1645 (b) libr. II. p. 18. ſq. (c) libr. I. p. 205. ſq. (d) libr. I. p. 22. (e) libr. II. p. 75. libr. I. p. 289. (g) tom. I. op. Praef. e. 13. fol. 10. b. (h) Cap. 10. p. 14. b. (i) Horat. libr. I. Sat. 3. 9. 19. (k) Commentario de rebus geſtiſ a Ludov. XI. & Carol. IIX. (l) de Re Diplomatica Lib. I. c. 8. fol. 32. B. (m) in Tract. Germ. de Germaniae Phonaſcorum Origine, Praeſtantia, uilitate & Inſtitutis p. 480. ſq. adiecit. eiſdem Commentationi de S. R. I. libera Ciuitate Noribergenſi. Altd. ao. 1697. qto.

Virtutum
homiletic.
praecepta

§. IV. Vt eo melius, quid uelim, intellegatur, nonnullas, quae exter- num hominis literati cultum ſpectant, uirtutes attingemus, ceteras e- orum diligentiae relictae, qui alio tempore hanc materiam curatius cupiunt euoluere. In earum numero, niſi me omnia fallunt, poni me- rentur: *Humanitas, Ciuitas* in ſpecie ſic dicta, in ſermone & geſtu ſe ex- rens, *gratificandi & aliis inſeruiendi facilitas, mundities, Taciturnitas, Pa- tientia, manſuetudo, Submiſſio externa, animos conciliandi aptitudo, graui- tati honeſtae conueniens hilaritas, Facundia, Modeſtia, aſſabilitas, &c.* Omnium finis eo tendit, ut cum aliis, ſiue eruditi ſint, ſiue inferioris conditionis homines, amice, ſincere & in pace uiuentes uerac eruditi- onis & Sapientiae ſcopum obtineamus.

Auctores
hinc perti-
nentes.

§. V. Vnde laude merita omnino ſunt maſtandi, qui inter peritiores eo reſpexerunt, ut nobiliſſimae huius doctriinae egregia in ſcriptis ſuis relinquerent monumenta. Extant libri de decoro; nec defant docto- rum de uirtutibus, quas a decoro diſtinguere placet, in hoc commer- cio adhibendis, praecepta non contemnenda. Verſati olim fuerunt
circa

circa hunc locum Cicero (a) *Io. Casa*, (b) *Guazius*, (c) *Erasmus* (d) & nostris temporibus, *Bellegarde* (e) *Exc. Thomafius* (f) Et vtilis libellus in vsum Paedagogii Glauchenfis Regii impressus. (g)

(a) In Libris de Officiis passim, (b) In Libello, qui inscribitur: Galateus. (c) De Ciuili Conuersatione, (d) De Ciuilitate Morum. (e) Reflexions sur le Ridicule. Reflexions sur la politesse des Moeurs. (f) In dem kurtzen Entwurff der politischen Klugheit sich selbst und andern in allen menschlichen Gesellschaften vvol zu rathen und zu einer geschickten Conduite gelangen &c. (g) Nützliche und nöthige Handlung zu vvol anständigen Sitten.

§. VI. Non equidem ignoramus, e Veterum philosophorum numero *Cynicos* olim, quae hic tradimus, omnia susque deque habuisse & inter modernos forte dari homines, qui aulicis, & qui in officiis, vt vocantur, politicis versantur, hanc scientiam tantum exercendam esse tradant; Verum enim vero, quemadmodum priorum opinio iam tum, cum nasci videretur, a prudentioribus explosa fuisse legitur: ita etiam decore viuendi prudentiam non aulicis modo, sed eruditissimisque quoque colendam esse, tamdiu euincemus, quamdiu firmo stabit sententia talo: *Eruditum omnis Sapientiae virtutumque exemplar & imaginem esse debere.*

Non ad aulicos tantum pertinet.

§. VII. Neque est, quod dicamus, solo illam vsu addisci posse, huicque rei addiscendae nullis opus esse regulis. Quamuis enim concedamus vsum & exercitationem plurimum huc conferre: Non tamen salutaria praecepta excludi posse & debere statuendum est. Qui hominum consortio nunquam, aut raro interest, illorum conspectum timet & si forte aditus eorum est expetendus, membra frigent, animus languet, vox faucibus haeret. Si vero, qua ratione mores componendi sint, aditus parandus, & verba facienda, antea fuerit dictum, quam adeamus alios: Odium illud, in quod decori negligentia facillime incidere poterit, optime poterit euitari, & si in primis exercitatio accesserit, hac simul ac praeceptorum veritate freti in publicum prodire non veremur.

Regulis etiam aliquo modo discitur.

§. IIX. Non sine causa praeceptores saepe discipulis acclamare memini: *Qui proficit in literis & deficit in moribus, plus deficit, quam proficit.* Sed cum ipsi raro moribus egregiis instructi discipulis praecant; hi vero non habeant, quem sibi possint imitandum proponere: praecepti huius parua vis est, & mera de moribus sine vsu opinio aestimanda. Vnde non tantum fit, vt morum ignarissimi producantur, sed etiam decori & honestae elegantiae maximi osiores existant. Quae negligentia quantam & quam funestam progignat vitiorum seriem, hoc loco nostrum quidem non est explanare. Quoniam tamen in hunc locum

Praeceptorum in scholis monita saepe paruum vim habent.

31

locum forte incidimus; obiter primum & quasi *ως ἐν παροδοῖς* vitia contra bonos mores pugnantia generatim dispiciemus; deinde vero de *Suspitione*, pestifero illo societatis humanae malo, speciatim pro viribus edisseremus.

Vitia quaedam nominantur.

§. IX. Virtutum, quae hanc disciplinam illustrant, nonnullas & quidem praecipuas nominavimus §. IV. Quam ob rem, quia nunc in eo versabimur, ut virtutibus relictis *Suspicionis* turpitudinem eamus explicatum: vitia in medium nobis proferenda sunt, ut, quid de quolibet existimandum sit, abunde queat conspici. Virtutis autem *vim omnem, ad minimum praecipuam, in eo ponimus, ut illam vitii oppositam esse* dicamus & hoc modo e. gr. castus & sobrius κατ' ἐξοχήν possit appellari tantum is, qui voluptatis & ebrietatis instinctui resistens eiusmodi aptitudinem induit, qua verae castitati & sobrietati amore honesto & licito sui inductus operetur. Quamobrem vitiorum & virtutum Homileticarum nomina sic inter se connexa erunt & implicata, ut, nisi haec monuissimus, non recte distingui potuissent & intelligi. Sunt ergo, quantum nobis scire datur, vitia eorum, qui sine morum elegantia viuunt, quae sequuntur: Inhumanitas s. *morositas, morum Corporis seu gestuum ruditas, Familiaritas, contradicendi, gloriandi, calumniandi & reprehendendi cupiditas, Curiositas nimia, timor, sordities, garrulitas, Impatientia, Iracundia, Contemptio aliorum, Cachinnatio & affectata morum simulatio.*

Causa disfertations.

§. X. Haec inter, quae primum nominanda fuit, eminet *Suspicio*; eo maiori desiderio seponenda, quo vehementiori impetu in amorem hominum grassatur & societatis honestae vincula nititur dirumpere. Et quidem huius materiae naturam euoluendam eo libentius mihi sumo, quo magis scio, neminem adhuc extitisse, qui de ea plenius dicere fuisset conatus. Sparsim omnino & carptim in libris suis locum hunc attigerunt auctores: Non tamen, quantum memini, eorum ulli in mentem venit materiam tam arduam vberius explicare. Quamobrem, cum locus vacuus cedat primo occupanti: Nemo mihi vertet vitio, quod de *Suspitione* plenius edisserendi munus mihimet ipsi imponam, & quae aliorum intacta reliquit diligentia, meo qualicunque labore illustrem. Igitur, quae ex Auctoribus iis, quos saepe verso, collecta studiose congeffi, in usum meum nunc conuertam; ita tamen, ut multa etiam Marte proprio, materiae huic explicandae adiu-
ciam.

A

§. XI. Non autem hic sermo noster erit futurus de illa, quae integras saepe gentes vexat, Suspicionē. Ita gallos & Hispanos ferunt continuas inter se similitates exercere & natura quemque sua duci & trahi, vt alter alteri non fidat: ex quo omnino solet sequi Suspicio; Neque huius loci est, quae varias sectas saepius irritat, vt male de se mutuo cogitare non dubitent; Neque in mentem reuocabimus suspiciones inimicarum Rerumpublicarum contentiones, quarum, dum vel bella inter se gerunt, vel alio modo fouent odia, pessime de alterius quaelibet actionibus cogitare non intermittit; Multo minus familias sibi infestas vrbesque suspicionem inter se alentes in medium protulisse iuuabit: Sed in eo tantum versabimur, vt Suspicionem paucorum hominum in Societate quadam arctiore viuentium sub sanae rationis incudem reuocemus. Hoc sensu nobis est *Suspicio intellectus corrupti actus, quo de alicuius hominis vel dictis vel factis male & sinistre cogitamus.* Egregie huc faciunt, quae Magnif. Dn. *Buddaeus* passim (a) tradit de hoc intellectus vitio; dum (c) *Suspicionem* vocat *argumentationem incertam & ex signis procedentem, cui accedat determinatio in sequiorem partem & iterum (c) confirmat, illam non cadere in hominem emendatae voluntatis.* Vero enim ratiocinio nunquam vitur, sed probabili tantum iudicio nititur, quod vltius infra ibimus probatum. Praetera vbique in sequiorem partem inclināt; Sic vt hoc loco dicta cum nostra de hac re opinione ex amulsi conueniant. Huc quoque iure suo referri merentur, quae celeberr. Dn. Prof. *Langius* in Medicina mentis (d) de hoc vitio obseruauit. *Index, ait, diffidentiae solet esse suspicandi facilitas, qua citra argumenta ac citra explorationem accuratam, specie, nescio qua, impulsu omnia aut plurima, aut saltem quaedam aliorum dicta & facta sinistre interpretamur & falsissima ac pessima quaeque suspicamur.* Vt cetera taceam, quae ibi de diffidentia, quae Suspicioni vitium confine est, affert & apprime ad hunc locum illustrandum faciunt.

De qua Suspicionē non loquamur, ostenditur.

Definitio.

(a) Philof. pract. (b) Part. 1. c. 3. §. 17. p. 94. (c) cap. 4. §. 74. p. 152. (d) Part. 1. c. 4. membr. 3. §. 7. p. 73.

§. XII. A nonnullis, id quod experientia teste abunde patet, saepius confunditur cum aliis vel vitiis vel virtutibus. *Circumspectionis & prudentiae* nomine superbit apud eos, qui vitia virtutum inuolucris tegunt & quoniam saepe decepti sunt, semper se decipi posse & deceptum iri putant. Sed, si de aliis male sentire circumspectio est; quidnam laudis & prudentiae supererit iis, qui actionum suarum euentus prospicientes, facta praeterita & vires probe contemplan-
B
gitanter

Differt a Circumspectione.

31

gitanter fiat, caute in rebus peragendis procedunt? Posterius nollem suspiciosus tribui. Hos enim cautis & prudentibus | annumerari posse non concedimus.

De la Jalou-
hie,
Affine huic est vitium illud, quod galli vocant, *Jalousie*, germani: Eyfferfucht. Differunt autem inter se. Nam *la Jalousie* ait Charron (a) *est de notre bien propre, auquel nous craignons, qu'un autre participe.* Ex quo intelligitur ad *voluntatem* referri & non sine actione contingere: Cum Suspicio contra sit *intellectus* corrupti mala actio. Possunt tamen uno eodemque tempore coniungi, vt vna & simul in anima operentur; quamuis cogitatione a nobis separentur. Sic, qui incasto amore foeminae deperit, cum corruialem non ferre possit, insidias ipsius timens, omni tempore suspiciosus est.

A diffiden-
tia,
Nec est, cur *diffidentiam* appellemus. Haec ab illa distinguitur, vt effectus a Causa. Qui enim Suspicatur, diffidit; Suspicio incipit, diffidentia sequitur. Adde, quod haec solum voluntatis debeat annumerari infirmatibus, non intellectus vitiis. Concesserim tamen, si affectus animo dominantur & imperium eripiant, diffidentiam Suspicionem excitare posse: Verum hoc modo omnia pessum irent & ratio amori bruto se subicere cogeretur.

(a) De la Sageffe livre 1. cap. XXX. p. 150. His adde, quae excell. Thomastus in der Ausübung der Sitten-Lehre c. 13. § 50. sqq. philosophatur.

Causae in
ipso homi-
ne latentes.

§. XIII. Si in causas inquirere licet, earum quam plurimae non *extra* hominem, sed *intra* eius animum quaerendae mihi videntur. Qua ratione quilibet mortalium ad voluptatem, ambitionem & avaritiam natura trahatur; iamdudum a modernis Philosophis fuit probatum. Quoniam itaque hae tres propensiones omnes suspicioni exercendae sunt admodum aptae: Nihil impedit, quo minus dicamus, suspicionem hominum mentibus etiam natura inesse. Qui ad voluptatem pronus est, eiusmodi semper cogitationibus vexatur, vt, si a negotiis vacuus sit & forte otiosus, nil aliud in mentem ipsi veniat, quam libidinis explendae desiderium & cupiditas. Hanc cum iugiter animo voluat homo; si quis occurrat, qui minimam tantum, imo plerumque falsam voluptatis speciem prae se ferre videtur, statim indicabit eum eodem, in quod seipsum immerfit, vicio laborare. Vnde, cuius e. gr. in vultu pallorem videt diligentia & animi angore contractum, cum in impuris & incastis, qualis ipse est, sine dubio habebit. Nam, vt alios ex ingenio & corde nostro metiamur, suadet corrupta ratio &, quo minus intermittamus, impedit vanum philautias studium. Eadem res est idemque modus, si de ambitione & avaritia idem statuamus. Hoc tantum dif-
ferentiae

A

ferentiae intercedit, quod e tribus his propensionibus vna plus minusue, quam altera de Suspicionem sibi vindicare videatur. Voluptuosus enim ob mollitiem conuulsam & candorem, qui ipsi a natura est tributus, candidior & sincerior incedit; nisi aliorum peruersitas & fallendi aptitudo, qua saepe deceptum se conqueritur, aliud quicquam suadeant. Ambitiosus contra, cum aliorum actiones & viuendi rationem magno; quo pollet, iudicio, rimeretur & impietatem ab aliis vbicunque exerceri videat, pronior voluptuoso est ad Suspicionem. Hos tamen omnes suspicandi facultate superat auarus, qui, dum neminem ipse amat & etiam a nullis amorem mutuum sibi pollicetur, de nemine bene cogitat, sed vniuersam generis humani Societatem cogitationum suarum prosequitur peruersitate.

§. XIV. Augetur vero & minuitur *Suspicio* pro *inclinationum modo & diuersitate*. Et quot sunt earum permissiones: Tot etiam Suspicionis dari genera videmus. Sic, qui voluptatem cum auaritia habet coniunctam, variabilem nimis & inconstantem sibi suspensionem inesse experietur. Quae enim voluptuosis adhaeret humana benignitas, facile efficit, vt de aliorum conatibus melius incipiat sperare. Seuerior tamen & constantior in auaro & ambitioso reperitur suspicio; dum vires suas iungunt eorum propensiones, quae iam, vt antecedente paragrapho demonstrauius, natura sua huic negotio exercendo, voluptuosus sunt aptiores.

Diuerfitas
Suspicionis
orta ex pro-
pensionum
mixture,

§. XV. His, quae natura nobis insunt suspicandi propensionibus, proxima sit, naturalis inter homines *Antipathia*, de qua tamen, an datur, forte adhuc disceptari posset. Nos de illa plane non dubitamus, his praecipue rationibus adducti. Sunt in animis Hominum diuersae voluntates, vt, quod alius vult, alter saepe non velit. De vna eademque re varie saepe iudicamus; Cum tamen illa non immutetur eiusque maneat veritas firmissima. Natura humanus & benignus consilia fouebit mitia & minus dura: Ad seueritatem pronior grauius vrgebit poenas, si de eodem Supplicio vtrique statuendum sit. Vnde igitur haec opinionum diuersitas & contrariae mentes? Nonne natura hominibus insunt? Plura inde colligo. Ambitiosus non feret auarum ob sorditium; hic ambitiosum fastidit ob nimiam animi elationem. Nec est, quare noui aliquid & heterodoxi quis existimet opinioni nostrae subesse: Communis illam iam dudum stabiliiuit experientia. Non raro audimus dicentes: Ich kan dem Menschen unmöglich gut seyn: ich weis aber nicht vvarum? a quo non aberrat illud Poetae:

Excitat Su-
spicionem
antipathia,

B 2

Non

Non amo Te *** nec possum dicere quare ?

Hoc tantum possum dicere ; non amo Te.

Agnouit hoc quoque Hispanorum illud Ornamentum, *Balthasar Graecian* (a) in hanc' sententiam pronuncians ; Betrachten vvir die Temperamenter der Menschen, so ist ein Phlegmatischer dem Melancholico entgegen und in dem euserlichen Zustande ist ein Armer vvider den Reichen. In gantzen Nationen sind die Frantzosen geborne Feinde der Spanier ; ia der Mensch ist in seinem eignen Temperamente vvider sich selber &c. Si ad Exempla prouocare licet, non deerunt integrae nationes, quae omnia a nobis hic prolata abunde confirmabunt. Emultis Hispanos & Gallos, modo nominatos in medium afferimus, quorum inter se famosa & morum & opinionum diuersitas est. Deduxit hanc admodum clare de la *Morbe le Vayer* (b) & solidius e veris principiis eruit vir acutissimus Dn. Consil. *Gundlingius* (c) quo studiosos huius rei ablegamus.

Haec igitur natura sibi oppositae rationes & vires contrariae quae de aliis producant *iudicia*. Metimur alios ex nostro ingenio, qui, si cum nostro conueniant, aequam, si a nostra indole abhorreant, iniquam communiter censuram patiuntur. Garrulus, exempli gratia, taciturnum & hic illum asperitate verborum perstringit. Fortis timidum probris lacerat; timidus gloriosum & facetus austerum. Ex quo clare patet suspiciosorum quosdam, si cogitationum de aliis susceptarum rationem reddere debeant, non aliam suspicandi causam habere, nisi illam, quae in animorum & naturae diuersitate latet, *Antipathiam*.

(a) in Critico, tom. 1. p. 44. Versionis nostrae German. (b) Dans son discours de la Contrariete d' humeurs, qui se trouve entre de certaines nations & singulierement entre la françoise & l'Espagnole. (c) Otiorum tom. 1. c. 2. p. 81.

Inde fluens:
ingeniorum
&c. diuersi-
tas.

§. XVI. Ex hac diuersitas ingeniorum, opinionum & morum prodire solet, quae nouam suspicandi occasionem potest praebere. Obtusus ingenio & hebes non delectatur alacri & generoso: Sed cum ipse sit morosus, inprimis, si in quadam dignitate constitutus est, vt ipse iudicio se accomodet omnis, vana ambitione & philautiae impulsu ductus inepte adfectat. Siquis hoc intermittat, facili negotio incurrit suspicionem eius, quem animo & opinionibus a suo ingenio videt abhorrere. Quid de opinionibus & moribus dicam? illas plane non attingam, cum in aprico sit, tot esse sensus, quot sint capita; & hinc quam facile suspicionem excitari posse: Hos vero paucis absoluere placet.

Redi-

Redimus primo loco iterum ad Hispanos & Gallos, quorum mores apte inter se contulerunt auctores modo citati §. XV. Dein sequentia adhuc annotabimus, Inflatus & tumidus homo, qui sui ipsius amore totus trahitur & ducitur, & verba ubique locorum sese quipedalia protrudit, nunquam in deliciis habet hominis modum esse mores, sed pacis & quietis studio deditum semper reprehendit. Sordidus & decori negligens, contum & modestae munditiae studiosum contemnit, auersatur & suae sortis sodalibus deridendum propinat.

§. XVII. Deinde nonnullis certus inest *metus*, eorum animos sic afficiens, ut minimos etiam ventos & ramorum commotiones timeant; Qui voluptuosus & auarus communiter solet tribui & ipsis etiam certissime inest. Profecto, ineptissimum & miserrimum genus hoc mortalium est, qui, dum sibi met ipsis diffidunt, ut de aliis nunquam bene cogitent, impelluntur. De omnibus aliorum Sermonibus, Vultus motu, gestibus, quamuis ad illos non spectent, suspicantur, sibi haec malitiosa parari. Quid, ait Seneca, (a) quod non Criminationibus tantum, sed Suspicionibus impellimur & ex vultu risuque alieno peiora interpretati innocentibus irascimur? Tangit hic locus omnes insidias nefarie aliis struentes, qui in rete, quod innocenti tetenderunt, incauti ipsimet incidunt. Sunt Principum similes (si quidem de plebe aliquem cum his conferre licet) de quibus in Panegyrico suo (b) Plinius ait, quod sibi imminere, sibi intendi putent, quae in hostes parentur & haec persuasio sit illorum, qui, hostilia cum facerent, timerent. Dionysium, Siciliae Tyrannum refert Cicero (c) cruciatu timoris angere solitum & cultros metuentem tonforios candente carbone sibi adussisse capillos. Alexandrum quoque Phryaeum, scriptum legimus, (d) ad Vxorem Theben, quam admodum diligebat, cum ex epulis in cubiculum veniret, compunctum notis Threiciis districto gladio anteire iussisse. Sed haec potius ad §. XXI.

Metus con-
natus.

(a) De Ira, libr. II, c. XXIII. (b) Cap. XIIII, p. 304. Edit. Oxon. (c) In offic. lib. II, c. VII. (d) Cic. I, c.

§. XIX. Ab hoc tamen plane differt *timor* ille, quo affimur de aliis, quos nobis praestantiores esse videmus & scimus. Est sane saepius inter huius generis homines molesta accumulatio, ex qua nasci solet pestifera Suspicio. Et inprimis, qui Superior esse cupit, ab altero, praestantiore, nihil amoris sibi pollicetur. Credit enim prudentiorem officio suo melius fungentem plus gloriae & commodi reportaturum esse,

Timor de
alterius
praestantia.

esse. Si quoque rebus suis male consulat, non sine causa timet, aptiorem eius malitiae & nequitiae gnarum, aliis aperturum esse, quod muneri suo, non ut decet, praefit. Hinc illi boni, quam mali suspiciores sunt, & semper aliena virtus formidolosa est. (*) Prodest ergo aliquando Sapientiam suam & prudentiam dissimulasse, idque praecipue, si cum hominibus res sit, quorum & status & vitae Conditio, ut nobis praestantiores sint, requirere videtur. Non enim ignoramus illum, quem consilio, quanquam prudenti, praemature tamen, dignitatem amisisse refert *Monf. de Saint. Euremont* (**). Hic nimirum, Iuvenis, cum Cardinali cuidam, quomodo res ecclesiasticae, prudenter gerendae essent, incaute nimis diceret, & dein ab eo, postquam ad papales honores euectus erat, Cardinalitiam dignitatem petere: Id responsi tulisse dicitur: Sibi nondum constitutum esse, quem se prudentiorem sciret, tali augere honore & dignitate. En! nouam suspicandi causam & occasionem.

(*) Salustius Bell. Catilin. c. VII. (**). Vid. Saint. Euremontiana p. 9.
 Credulitas. §. XIX. His, quae Suspicionem generant, causis, annumerari etiam posse videntur *Credulitas & incredulitas*. Prior Vitium virum grauem dedecens est & iis commune, qui vel affectu quodam vel incogitantia abrepti suo rem ipsam non ponderant iudicio: In hoc tamen inuiti saepe labimur. Cum nimiam in aliquo ponimus fiduciam: Illi non est difficile, nobis, quid velit, persuadere. Hic igitur, si innocentem premere aut suppressere conatur, eum in hominis creduli Suspicionem pro lubitu potest adducere. Memorari hic digna sunt, quae in hanc sententiam affert Gracianus noster (†) de imperio muliebri, quo multi possunt in hoc vitium & inde in suspicionem induci.

(†) Vid. tom. 2. c. 5. p. 143. sq. Versionis German.

De *incredulitate* idem perhibemus. Et multa nobis essent, quae proferre de hac materia possemus: Sed e multis pauca tantum placet eligere. Datur hominum genus, quorum verba & sermones tantum habent mysterii, ut non ex rei, quam prae se ferunt, specie, sed ex eius contrario diiudicandi sint, si animi sententiam velimus adsequi. Wenn man euch, ait Gracianus, (*) mit Ia Ia, antvortet; so müßet ihr es annehmen, als vvenn man Nein Nein! zu euch sagte. Denn gleichvvie zvvoy Verneinungs-Wörter beiahen; also verneinen auch zvvoy Beiahungs-Wörter. Danachhero sollet ihr von dem Nein! Nein! etvvas gutes hoffen: Allein von dem Ia! Ia! alles böse befürchten &c. Si itaque sincere & candide cum istis agere animum induxeris; & ex honesta intentione

A



tionem rebus tuis bene fungi: Semper illi contrarium de Te sibi persuadebunt & cum pius sis, probus, & honestus, talem te minime credent. Vnde semper Suspiciosi actiones tuas in dubium Vocabunt & omni tempore impediunt, quo minus consiliis & labore tuo scopum praefixum queas attingere.

(*) tom. 3. p. 119.

§. XX. Harum omnium, quas attigimus, & quae sequuntur, Causarum pessima est, quae odio, quo prosequimur alios, suam debet originem. Neque vllum excusationi hic locum esse video. Quem odimus, ei nil credimus, nullam fidem habemus, male semper de eo existimantes. Crescit haec Suspicio, quo maius est odium. Quando natura eo impellit aliquem, vt nullius sit amicus: Difficilis sane res est Suspicionem eum liberare. Audiamus de Principe suo egregie loquentem, *Mr. du Refuge* (*) Gallum non ignobilem, *Quelquesfois* ait, *le mauuais naturel du Prince rend les fortunes de ceus, qui le seruent, plus courtes, meement s'il est leger & inconstant, vain, desiant, enuieux, auare, cruel ou timide: ces imperfections surmontans le plus souuent toute la prudence, qu'un homme puisse apporter pour se maintenir. Senecque, quoiqu'en certaines choses asses libre enuers son Maitre, etoit neantmoins estimé pour Sage & auisé Courtisan: Mais le mauuais naturel de Neron son Disciple surmonta toute son accortise, laquelle ne peut empescher, que son eloquence & ses richesses ne fussent ennuies, qui avec les medisances de ses ennemis lui firent perdre premierement son credit & puis enfin la Vie.* Sic omnino se res habet & nullum sane, vt cum Plinio (**) loquar, *tam insidum mare, quam blanditiae Hominum illorum, quibus tanta leuitas, tanta fraus, vt satius esset iratos, quam propitios habere.*

Odium malitiosum.

(*) Traite de la Cour part. 2. c. XXXIII. p. 347. (**) In Panegyrico.

§. XXI. Ex his ferè omnibus fluere videtur rerum turpiter & nefarie gestarum Conscientia. Homo malarum actionum sibi conscius, illas etiam, vt ipse quondam commisit, ita ab aliis patrari arbitrat. Certum id in parentibus, quorum in iuuentute male gesta constant. Hi dum vitae antea actae probe memores sunt: a filiis etiam peccari eo modo suspicantur, quo se, ipsos olim delirasse probe sciunt. Sed haec abominanda sane pestis est, si inter Viros in eodem officio & munere constitutos talia dominantur. Sic, qui munere sibi imposito perfide & impie fungitur, Collegam probum, candidum, honestum, & rebus suis optime consulentem, semper talem putabit, qualem se ipsum esse non negare potest. Huc non inepte referimus prouerbi-
Man

Malarum rerum Conscientia.

Man sucht keinen hinter dem Strauche, man hätte denn zuvor selbst darhinter gesteckt. Accedit & hoc, quod, si impius sit, divina humanae non perhorrescens, probum illum & rebus ex voto aliorum fungentem, in suspitionis discrimen vocet ipsique praefectorum odia contrahat. Hoc nimirum illud efficit, ut ipsum solum fidum, & strenuum credant Superiores & in eius nequitiam non intentum habeant animum Praecipue tamen eos tangit hic casus, qui vindictam eius timent, quem malis artibus laeserunt & fama & bonis priuare studuerunt. Quicquid etiam hic loquatur, quicquid etiam scribat, omne illud sibi dici & sibi parari arbitrantur. Recte ergo malarum rerum *Conscientiam* hoc loco commemorari volumus.

Vita vel bona vel mala aliorum.

§. XXII. Haftenus de interna hominis ad suspitionem propensitate. Hos igitur Suspiciosos varie etiam irritat aliorum *viuendi ratio & institutum*. De mala alicuius Vita res est in aprico. Nam qui semel est malus, semper praesumitur talis. In malitiosi enim vita sic se habent omnia, ut, quoniam ad meliorem frugem redire difficillimum est, & pauci etiam huc redeunt; vix habenda fides sit, quamuis etiam sub virtutum specie incedant eius actiones. Sic falsa Suspitione a Consulatu se alienatum pronuntiabat olim (a) *Catilina*, quem criminum variorum in Senatu accusauerat Cicero. In quo nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis beneuolentiae est fiducia, quis de eo non omnia mala suspicabitur? *Omnia huius, quod de Tyrannis affert Tullius (b) semper suspecta atque sollicita sunt.*

Bonam alicuius & honestam vitam suspicandi ansam praebere posse, forte nonnulli dubitabunt. Verum enim vero, si hominum invidentium naturam recte inspicimus; Res tam clara fiet, ut vlli dubio locus non sit futurus. Homines vani, ventosi & inflati non ferunt generosi viri lautos mores. Et, quo quis est generosior & honestior: Eo ipsis est suspectior & inuisior. Suum cuique pulchrum: Ergo & impietas cuique sua non displicet; alterius honestas vero improbat. Innocentia eius offenduntur, & si nihil sit, quod probro viro obicere queant: Ipsi tamen non fauent, quod nihil exprobrare possunt. Miserrima sane Ingenii eiusmodi conditio, quod inter homines vix reperiri posse arbitreris. Vn homme soupconneux sapienter tradit Bellegarde (c) est d'un Commerce fort difficile. Il faut de grands menag mens pour ne lui point donner d'ombrage. Les Personnes d'un merite hoc ne sont toujours sur les epines. Ils interpretent tout de trauers. Ils croiernt que tous les ris sont mysterieux & qu'on y entend toujours fineffe.

A

finesse. Le moindre signe ou le moindre geste leur blesse l'imagination. Ils croient toujours, qu'on parle d'eux & qu'on n'en dit pas de bien. Ils vous prennent brutalement a partie & vous demandent des éclaircissements pour des outrages, qu'on n'a point songé a leur faire. Præcipue irritantur, quando quis eos bono modo erroribus eripere conatur. Manibus pedibusque, ne id fiat, obnituntur, persuasi, aliud quidpiam hoc labore & diligentia intendi.

(a) Sallustius in Bello Catilin. p. m. ns. (b) De amicitia c. XV. (c) Dans ses Reflexions sur le Ridicule. p. 333.

§. XXIII. Nec obliuiscendi sunt *Adulatores & Calumniatores*. Quod ad priores attinet, eorum valde interest dissidia & similtates foueri, vt soli sint, qui aliorum animis dominantur. His communiter decipi se patiuntur effœminati homines muliercularum more nihil recto iudicio pensitantes. *Adulatorum illos Caterua transversos agit, vt sententiam compluries variene a proposito identidem dimoti: Qua quidem ratione nequit fieri, quin in contemptum veniant, adeo leues, adeo sibi non constantes, adeo sui dissimiles. (*)*

Adulatores
& Calumniatores.

Calumniatores partim aperte, partim occulte in Suspicionem eos, quibus non fauent, vocant. Summum hac in causa artificem fuisse *Regulum*, caussidicum non incelebrem in *Epistolis* (**) commemorat *Plinius*. Voti sui compotes fiunt quam facile, si eorum, apud quos in honore sunt, animis pro lubitu possunt vt. Dum enim alicui non dissimilis: Quicquid etiam nobis proponat, statim credimus, de dexteritate eius persuasi. Modo igitur instigant alios, vt male de nobis loquantur: Deinde simulant nostras partes defendere, ne calumniarum & suspicionum faces accendisse videantur. Imo tam subtiliter & caute decipiunt suspicantis animum, vt ne, si aliquando euentus eum deceptum esse declaret, rationem reddere cogantur. Et hæc malitia profecto tanta est, vt nihil supra. Tecte quoque animorum coniunctionem impediunt, dum suspicionis & discordiæ semina spargunt: Nulla alia de causa ad hoc faciendum adducti, quam, vt ipsorum pomanent, aliorum deprimantur. Et, si eorum malitiæ vel obicem ponere vel ad iniuriam patienter ferendam accingamur: Mala conscientia stimulis agitati nobis perniciem machinantur. Innocentis dicta & facta honesta inuidis & suspiciosi oculis intuentur, pessime interpretantur, exaggerant, vbiunque modestiam suam & salutis publicæ amorem præ se ferentes. His consilii, exempli causa, Superiorum aliquem, cuius animum contra innocentem variis artibus præparauerunt,

C

aggre-

31

aggreduuntur & suspicionem eius vel excitando vel augendo efficiunt, ut laqueis irretiant, quem multo abhinc tempore praecipitare stuerunt. Sed non semper res prospere cedit. Saepe enim malae eiusmodi artes deteguntur; quarum exemplum potest esse discrimen illud, in quod *Marescallus Villariensis, Ducis Luxemburg.* Fratrem nuper malitiose vocare allaboravit. Quod, quoniam hanc materiam illustrat optime; non alienum erit integrum hic referre, ut in literis novarum rerum nunciaticibus, quas Galli vocant des Gazetes, scriptum comperimus. *Dans la derniere conference, que le Roy a eue avec le Mareschal de Villars: celui ci lui donna a entendre, que si on avoit perdu la bataille de Tanieres, c'estoit par la faute du Chevalier de Luxembourg, qui avoit abandonné sans son ordre le retranchement fait sur la Trouille. Mais comme cete accusation lui auroit attiré infailliblement la disgrace de sa Maisté: Le Duc de Luxembourg, son frere ainé, l'en avertit promptement. Sur quoi il lui enuoya l'ordre signé dela propre main du Mareschal de Villars; en vertu du quel il avoit quitté son poste & le Duc le communique d'abord au Roy le 2. Janu. de Paris.* Ecce specimen falsae politicae, quod utinam omnes considerarent, qui in aliquo imperii & dignitatis gradu constituti sunt, ne hoc modo decepti amissi honoris, & famae deinceps poenas luere teneantur!

(*) Haec Machiavelus de Principe suo p. 137. Edit Langenhert. (***) Libr. I. Ep. V.

Socii, qui-
bus cum vi-
nimus.

§. XXIV. Vetus proverbum & communiter etiam verum verbum est: *noscitur ex Socio, qui non cognoscitur ex se. Similis simili gaudet.* Et quae sunt eiusmodi. Quamvis vero non sequatur, tales nos esse, quales socios habemus: Subesse enim possunt causae licitae, quibus commotus honestus cum homine, quem impietatis vel alicuius vitii accusari nescit, habeat commercium; tamen haec vitae ratio aliis suspicionem monere potest. Finge tibi e. c. virum suspiciosum, qui cum multis aliis odia clandestina exerceat & tu frequenter inimici eius domum vel familiam; Nonne veniet ipsi in mentem, Te cum illis conspirare, vos de illo loqui, consilia contra illum tibi suppeditari? Praecipue vero si male iuveniles annos collocarit: Nunquam non putabit, se illud, vitaeque suae pessime gestas res in medium adferri. Tibi praeterea hoc mali accidet, quamvis innocentissimus existas, ut a suspicioso in sodalium tuorum numero, tanquam impius & nefarius, habearis.

A

Vexatio.

§. XXV. Unica adhuc restat causa, quae alias probos & honestos, etiam virtutum obseruantissimos, reddere solet suspiciosos. Proverbia duo:

duo: *Piscator iclus sapit: Vexatio dat intellectum* idem docere videntur. Ad omnes omnino vexatos pertinet allata suspicionis ratio: In primis tamen eos tangit, qui sincero & candido animo in Societate humana viuere allaborantes turpiter ab aliis decipiuntur. Certe, si vlla unquam mens est, quae nefariorum simulationibus & malitia aegre afficitur, profecto haec appellari meretur, quae omnes candide & peramanter tractat. Dum enim sibi id praestari cupit, quod ipsa aliis exhibuit, aegre id omnino fert, si voti sui se compotem non fieri posse experitur. Hoc igitur impelluntur, vt saepius tam turpiter decepti in suspicionem misere prolabantur & hoc morbo aut raro, aut nunquam liberari queant. Vulnus enim candori & sinceritati eorum vehementer impressum facile recrudescit; quanquam aliquo modo fuerat sanatum.

§. XXVI. Sed, ne haec sine ratione protulisse videamur; damna perpendisse iuuabit, quae ex hoc vitio in suspiciosum ipsum redundant. Hic itaque

Damna in suspiciosum redundantia.

1. Perpetua inquietudine angitur & nunquam animo tranquillus est. Dum enim semper de alio male cogitat, in eo, quo delectetur, nil videt & experitur. Vbi vero nulla delectatio, ibi nulla quies. *Nunus omnium, oculos, verba in argumenta animi superflua Subtilitate ducit. Ita perpetuis suspicionibus atque curis sui astus poenas luit.* (a)

2. Nemini fidit, neque vxori, famulis, neque sibi ipsi. Characteres eiusmodi hominis aliquo modo depingit *Theophrastus* (b) cui dictum illud Hesiodi addendum: *πισεις ὄρα θυμῶς καὶ ἀπιστίας ὄλεσαν ἀνδρας,* (c) Non ignari, quam Credulitas & diffidentia virum perdant.

(a) Barclaius in Icon. Anim. c. 6, p. 198. ita de Italis indicat. (b) in Characteribus Ethicis c. XIX. *περὶ ἀπιστίας.* Cui addatur c. XX. p. 80. in den Characteribus derer Menschen oder in der Entlarveten Welt, Amsterd. 1701. (c) *ἔργ. καὶ ἡμῶν. βιβλ. α. v. 369.*

3. Omnium odia sibi contrahit Suspiciosus: inde aliter fieri non potest, quam, vt ab iis, quos etiam amicos habuit, decipiatur. Quis enim sincerus & candidus, nisi bene in virtutis exercitio sit confirmatus, ferre poterit, vt omnes suae actiones, quas ex bono & honesto animo prodire scit, in dubium vocentur? Et quis malitiosus & nequam non id ager, vt, quoniam suspicione caussa fallendi suppeditatur, suspiciosum naso suspendat adunco? a Priore quidem non habet, quare timeat malum; Virtutis enim amor, vt id in actum deducat, impellit, quod est in Proverbio; *δυσέων καὶ ἐλπίσεων.* Verum a posteriore sibi caueat, opus

opus esse puto. Ut enim taceam, quod impius homo alterius suspitione vtatur ad supprimendum innocentem; id quoque molitur, vt Herum, amicum, vel Patronum suspiciosum omni modo fallat & turpiter ignarum decipiat. Scite iterum Bellegarde (*) ait, *prenez le soin de mieux cacher Vos soupçons & vos desiances. Vous croyez, que tout le monde a dessein de Vous tromper & vous laissez voir votre inquietude. Ceus, qui se desient de tout le genre humain, ne sont pas toujours les plus honnetes gens du Monde. Vous dites, que vos domestiques vous volent; que votre femme vous ruine; que vos enfans enleuent de votre maison tout ce, qu'ils peuuent; ils n'y pensent pas. Mais vous leur en ferés naitre le desir & la volonte par vos soupçons mal fondés.*

(*) Reflexions sur le ridicule p. 339. sq.

4. Nec ab odio diuino liber est eiusmodi homo. Dum enim eorum numero est, qui diuinæ bonitati maxime diffidunt; Deus autem præcepit, vt in ipso solo fiduciam ponat: Omnino eius iram sibi contrahit & seueram diuini Numinis vindictam. Hinc est, quare penitus mihi persuadeam, cum Deum deserat homo, quod auxilio ipsius destitutus de die in diem turpius in suspitionem incidat. Multi multa sæpe sine diuino numine moliuntur, viribus & prudentiæ suæ omnia tribuentes. Sic igitur, quoniam summum auxilium excludunt, ab eo iterum exclusi in vitii modo dicti profundum abiiciuntur, Deus enim paria peccata paribus afficere solet poenis.

5. Innascitur deinceps ipsorum animo aliud malum, quod in illis, quibus non fidunt suspiciosi, casum & calamitatem machinatur. Quibus non fidit homo, eorum commercium a se amoliri nititur. Et quemadmodum quotidie malum hoc augetur: Ita, qua fieri potest celeritate, vt voti sui fiant compotes, allaborant. Omnes innocentis actiones, verba, gestus oculos, commercia cum aliis, curate obseruant, periclitantes, an aliquid, quod lapsum eius maturet, inueniant? Sin minus, cum odium ex suspitione ortum creuerit, ὁ δὲ ἀπίστος, πιστῆος διος, ἀποσεύλας τὸν παῖδα ὀψωνήσοντα, ἕτερον παῖδα πέμπει πεισόμενον πῶς ἐπέλατο. Theophrastus (*)

(*) Vid. Characteres Ethicos c. XIX, p. 51, Edit. Casaub. Brunsv.

6. Cum vero vident, Suspicionem coram aliis excusari non posse & tamen interitum ipsi, quem odio prosequuntur, sunt minati: Non aliud medium superest, quam vt ad mendacia confugiant. Solennis impiorum & maleuolorum mos est, linguis innocentem lacerare & sic malitiæ suæ conatus aliquo virtutis fucō tegere. Taxant igitur alios,

ne, quibus ipsi laborant, vitia notent alii & hac ratione, quod aliorum mores reprehendant, pro bonis habeantur.

7. Tandem his praemissis ad maiora properatur. Quem ferre non possumus, eum omni vi, astutia & dolo eiecimus. Et, si per providentiam diuinam, quae multa impedit, permillum esset, famam, vitam, & omnia innocentis bona ad nos raperemus. Praecipue, si potentiores sumus: Nulla id efficiendi occasio abesse videtur. Tales enim homines in omni vita sic se gerunt, ac si illis diuinitus concessa esset iniurias faciendi licentia. Non inepte huc spectant, quae Lipsius in Plinium (*) commentatus est: *Dux regius ait, ut fere semper in lubrico est: Ita praesertim sub Principe iniquiore. Et Iosephus: (**)* Quotquot in eorum gratiam plurimos labores exhauriunt, eos primum euehunt, deinde iam honoratos per inuidiam non solum dignitatibus priuant, sed per calumniam opprimunt.

(*) Vid. Plin. Panegy. cum Notis Baudii & aliorum p. 106. Edit. Lugd. Bat. 1675. 800. (**) Libr. VI. Antiqu. c. XIV.

Accedit communiter tanta crudelitas & iniqua mentis ratio, ut rebus suis affectuum, non rationis lance pensitatis, omnem honestatem omnemque pudorem longe exulare iubeant & ad extremos Indos & Garamantas relegent. Ut aliquo modo malitiam suam tegant, causas, quas dicere non deceret, impietatis suae proferunt; quae res quidem apud eos valet, quorum animis illi dominantur: Ceteri vero, dum etiam perspicaces sunt, his verbis malitiam tantum tegi vident.

8. Sed quemadmodum animi suspiciosorum miserima est conditio: Sic etiam eos, nil nisi contemptum & irrisum sequi videas. Causas, quas praetextunt, cur aliquem prosequantur, nullius sunt momenti; quis enim ex probabili quadam re, qua innititur omnis suspicandi modus, certi quicquam eliciet? Vnde a cordatioribus, qui rem curatius inspiciunt, turpiter irrisi, famae suae & honoris periculum quam maxime incurrunt. Hoc imo ad ultimum efficiunt, ut eum omnes ament, quem innocentem tanto adfecerunt odio & iniuria.

§. XXVII. His, quae amicitiam dirimunt, suspicionis malis probe consideratis, consultum esse credimus, ut, qua ratione huic morbo mederi possimus, paucis discipiamus. Hoc vitium Societati ciuili maxime nocere, non inficias ibunt, qui vim eius & iniuriam vel experti sunt, vel e proximo inspexerunt. Qua de causa sapientis esse arbitramur, si amice cum aliis viuere velit, quasdam de hac re sibi regulas praescribere. In iis sine dubio habenda est, omnium optima, quae amorem praecipit. Ex qua

Remedia
huic morbo
adferenda.

31
 fluit odium *Credulitatis*, ne aliis temere credamus, si de amicis nostris nonnulla nobis dicant alii. Multi enim dantur, qui proprii commodi causa Suspicionem in nobis excitare student & multa incogitanter effutunt, quae pectore abscondita manerent, si alterum calumniando nostram non captarent benevolentiam. Cum ergo male de aliis existimari audimus: haec, quae dicuntur, an vera sint, semper & ubique dubitemus? Hoc quippe suadet amor, monet diuina voluntas & exigit vitae humanae honesta ratio. Inde illud fluit: *Abiiciendam esse dissidentiam*. Amor omnia bona de aliquo sperat. Et cum praecipue summa lex sit, obseruanda esse diuini Numinis placita: Hoc praecipuum eo curatius exerceamus, quo libentius in numero bonorum haberi cupimus & debemus. Deinde, si quid forte aduersus te fuerit commissum, *humaniter excusa*. Omnes sumus homines; & quoniam tales sumus, etiam erramus. Et Quemadmodum nobis ignosci volumus, quando in vitium aliquod & errorem incurrimus: Ita etiam decet aduersus errantes nos tales gerere, quales se nobis exhibeant, optamus. Tandem *Colloquio tuo non dedignare illum, de quo suspicaris*. Libere, humaniter tamen, ex illo quaeras, an res ita se habeat, an non? Si quid Tibi displiceat, dicas & perconteris. Falsa, imo mendacia fortassis erunt, quae ad aures tuas fuerint delata. Ante tamen, quam id fiat, *Tibi ipsi quoque non credas & ne affectibus tuis decipiaris*, quae se caueas. Maxima enim, ut ex antecedentibus patet, in corde nostro latet Suspicionis causa.

Sapientis officium,

4
 §. XXIIIX. Res igitur quam maxime ardua est, si cum hominibus suspiciosus viuimus, nostras actiones ita dirigere, ne ipsorum animauerfiones incurramus. Ne sapientissimus quidem, credo, par erit viro, quem suspitionis vitio laborantem suis rebus periculum minitari vider. Neque opus esse reor, ut vnus suspiciosi hominis malae voluntati omnes nostras actiones subiiciamus. Omnes natura liberi sumus, & nisi accedat vel amor honestus, vel vinculum ciuile; Non video, cur alterius vitio submitienda sit nostra libertas. Si vero beneficum nobis se praestiterit, & salutem nostram non impediens: reciproco amore ducti, ne irriterem suspicionem, omnino aliquid demus amicitiae & fauori. Sapientis tamen est, ut ubique locorum sic viuat, ne tam calumniandi, quam suspicandi ansam aliis praebet. Et si forte cum suspiciosus occurrat commercium: Se vere sapientem & prudentem esse omni modo declaret. Id, qua ratione fieri possit, nunc paucis videndum est.

Didā

Dicta & facta sua rite obseruet. Non loquatur, non faciat, quae obseruatores laedunt. Inter voluptuosos caste uiuat & personas non accedat, quae sunt infames; si nimirum tales esse sciat. Si uero praeter spem & opinionem acciderit, ut alterius suspicionem non possumus euitare; (Natura enim suspiciosi, quemadmodum voluptuosi, tam malitiosa est, ut, quamuis expellatur furca, tamen usque recurrat:) *a mentis tamen tranquillitate & hilaritate ne deiciamur, sedulo cauendum est.* Quid enim opus est intimis angustis sensibus, cum extra illos afficiamur? Dolorem & tristitiam mortis imminenti praecones esse iam dudum obseruauerunt, Medici (*) Hinc ubique *te hilarem & animo tranquillum gerere & quo maior tibi imminet persecutio; eo hilarior, diuino auxilio confusus, exisse.* Non tamen in officio, si quod tibi demandatum uides, *ideo languere incipias, sed, qua incepisti alacritate, eadem strenue pergas.* Interim, an *conciliari possit suspiciosus*, annitere. Illud frequenter, consule, lauda, ipsi te exhibe submissum, affabilem, fincerum, & omni modo amorem eius merere. In primis ubique declara Te ipsum amare & honorare. Tandem non *impatenter ferendus est suspiciosi languor, sed ferendus est & speranda meliora.* Si uero remedio & amori tuo plane nullus detur locus: Omnia diuinae curae committe & vitae tot suspicionibus circumdatae internae mentis laetitia & tranquillitate auctus exitum expecta.

(*) Vid. Bontekoë vom Menschlichen Leben und Tode & Excell. Dn. Confil. Hofmanni fundamenta Medicinae passim.



31
ADDITAMENTA.

I.

IN virum bonum cadit Suspicio.

II.

Sapientem decet non quidem suspiciosum, perspicacem tamen & circumspectum esse.

III.

Fide, sed ante vide, cui tuto fidere possis.

IV.

Nimia Sinceritas plus saepe nocet, quam prodest.

V.


Sapiens quidem non suspicatur: non est tamen nimium apertus.

VI.

Iniuste faciunt, qui ex Suspicionem aliquid in alium statuunt.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

P. 4. lin. 18. lege cuilibet. p. 9. lin. 14. l. sinistre. p. 12. lin. 4. l. Gracian. p. 13. lin. 21. l. liceat. p. 16. lin. antepen. l. menagemens. ibid. lin. penult. l. borné. ibid. lin. vltim. l. croient.



ULB Halle

3

003 486 338




5b

TA-100







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

DE
ICIONE

Quam

E MAGNIFICENTISSIMO,
D PRINCIPE AC DOMINO,
IPPO WILHELMO

SIAE, MARCHIONE BRANDEN
CATUS MAGDEBURGICI VICARIO,
RELIQUA,

in
A FRIDERICIANA,
consentiente

PHILOSOPHURUM ORDINE,
PRO LOCO,

n, consueto more, consequendo,
NNO M. DCC X. die Maii,
PHILOSOPHANTIUM EXAMINI
submittit

PRAESES

GOTTSCHLING, SILE
ANDENBURG. IN MESO-MARCHI
VOCATUS RECTOR,

RESPONDENTE
NDR. HAGEN, LL. St.
Magdeburg.

GICÆ, TYPIS IO. MONTAGII, ACAD. TYP.

